



Universitätsbibliothek Paderborn

**Agenda Dioecesis Paderbornensis Rituali Romano
accommodata**

Hermann Werner <Paderborn, Bischof>

Nevhsii, 1687

Præfatio. Hermannus VVernervs Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus
Paderbornensis, S. Romani Imperij Princeps, Comes Pyrmontanus,
Cathedralis Ecclesiæ Hildesiensis Præpositus, &c.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36005



H E R M A N N U S V V E R N E R V S

Dei & Apostolicae Sedis gratia Episcopus Paderbornensis, S. Romani Imperij
Princeps, Comes Pyrmontanus, Cathedralis Ecclesiae Hildesiensis
Præpositus, &c.

Omnibus Curam animarum habentibus salutem in Domino.



Uamvis Sacrosancta Catholicae Ecclesiae Sacraenta à Christo Domino in salutem fidelium instituta , essentialiter tantum in designata suâ materiâ , & brevissimâ forma consistant, quæ, si omissa , vel substantialiter variata fuerint, Sacramentum non tantum, non constituant ; sed & mutantis conscientiam gravioris culpæ redarguant. Placuit tamen venerandæ antiquitati ab ipsis ferè nascentis Ecclesiae incunabulis administracionem SS. Sacmentorum ad majorem decentiam, populiique devotionem excitandam, quibusdam cæremonijs supervestiri. Cum verò verbum salutis eo usque excreceret, ut per universum orbein sancta dilataretur Ecclesia ; evenit , ut plures Episcopi diversas quoque ceremonias & ritus in dispensatione Sacmentorum , & administratione functionum Ecclesiasticarum introduxerint : adeò, ut, qui in professione fidei Sanctissimisq; Sacmentis conveniebant, in externis ritibus à se invicem viderentur discrepare. Animadverterat idipsum sanctissimus Dominus felicis recordationis PAULUS V. Pontifex Maximus edideratq; Rituale Romanum omnibus observandum, sed & hoc non potuit tam cito ubivis locorum sine molestia introduci, ne rudior populus, quod non intelligebat , quasi à Christo Domino institutum, & modo mutatum fuisse existimaret. Quocirca ab initio curæ Nostræ Episcopaliseò animum apposuimus, ut omnes Ecclesiastici Nostri, præsertim ij, quibus cura animarum commissa est, sicut in officijs & sacrificijs,

P R A E F A T I O.

4

cijis, ita quoque in administratione sanctissimorum Sacramentorum, cæterisque functionibus Ecclesiasticis, sanctæ Romanæ Ecclesiæ ritibus; quantum fieri potest, se conformarent. Quare et bene ponderata, attentisque variorum Parochorum novam Agendam postulantum desiderijs, Rituale, seu Agendam, ut vocant, ita compositam & formatam damus, ut, quantum fieri potuit, antiquam Dioecesis Nostræ praxin retineat, & à Rituali Romano non deflectat. Quam, uti in vestrum commodum Parochianorumque salutem edidimus, ita volumus & mandamus omnibus & singulis Dioecesis Nostræ Presbyteris, Pastoribus, Sacellani, omnibusque curam animarum habentibus, ut hanc sibi Agendam comparent; & ab illius præscriptis ritibus nullo unquam modo vel prætextu declinent. Populum insuper in Catechesi diligenter instruant, ut intelligat sacros Ecclesiæ Ritus pro exitandâ majori pietate fidelium esse institutos. Omnia deniq; tam sanctè pertractent, quam sevè coram divinâ majestate rationem suæ administrationis sunt reddituri. Datum in Residentia nostra Neuhusana Anno Millesimo Sexcentesimo Octuagesimo septimo, die septima Julij.

